



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

XI. De causis à peccato excusantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

43. *Qui ob veniam suam recipiendam per Confessionem delinquit, peccat ne gravius? Non videtur gravius peccare, nisi iustitiae contemptus adiiiceretur.*

44. *Qui alium ad peccatum inducit, peccat ne semper speciali scandali crimine? Non, nisi ideo inducat, ut cum in mortale labi efficiat. Peccat tamen alio peccato numero distincto. Aliquando etiam gravius tantum peccat, ut in his peccatis accidit, in quibus necessario sociorum concursus requiritur.*

CAPUT X.

De Peccati effectibus.

45. **Q**uam Peccati effectus referendi? Primus est macula, quam peccatum actuale infert, & in qua peccatum habituale consistit. Secundus est reatus poenae, seu aeternae, seu temporalis: seu damni, seu census. Tertius est diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas acquisita per peccatum habitu vitioso, facilius ad malum defertur, ad quod habitus vitiosus inclinat.

46. *Num unum peccatum alterius poena esse possit? Per se & formaliter consideratum, quatenus culpam dicit, non potest, ita ut Deus velit hominem ob culpam praecedentem in aliud prolabi delictum; quia peccatum non potest à Deo intendi. Si verò peccatum spectetur secundum eius accidentia, ut ratione infamiae, vel tristitiae, vel subtractionis gratiae, unum peccatum alterius poena potest existere.*

CAPUT XI.

De causis à Peccato excusantibus.

47. **A**liquae causae excusantes à crimine? Sunt quidem, quas ad quatuor classes adduco. 1. Dispensatio valide obtemperata. 2. Impotentia physica, aut moralis. 3. Vis, aut metus, seu proximum grauis damni periculum. 4. Ignorantia inuincibilis, & inaduententia.

48. *Esto quod impotentia excuset à peccato: requiro, numquam non possum totum praecipuum implere, teneat adimplere partem, quam possum? Teneris, modo sit pars notabilis, & superiorior.*

periori censeatur intenta v. gr. qui non potest tota Quadra-
gesima ieiunare, tenetur iis saltem diebus, quibus commoda
vritur valetudine; quia hoc à Superiore arbitramur inten-
tum. Verùm non valentes totum officium Canonicum reci-
tare, ad horas minores recitandas non obligarem; quia id
minimè à Superiore intentum existimo.

49. *Quidnam de vi, aut metu?* Vis absoluta, per quam ho-
mo inuitus omninò facere aliquid prohibitum cogitur, excu-
sat à peccato; quia nullum est crimen nisi voluntarium.
Item metus, seu probabile grauis damni periculum, regulari-
ter loquendo, à transgressione legis humanæ excusat, & con-
sequenter à delicto, quia lex humana non obligat strictius,
quàm lex diuina & naturalis: multæ autem diuinæ & natu-
rales leges sub mortali in periculo grauis mali non obligant
vni in Confessione patet, quæ licet iure diuino sit ante Eu-
charistiæ sumptionem præmittenda, non autem obligat sim-
pliciter in omnibus casibus: ergo metus aut periculum gra-
uis damni à transgressione legis humanæ excusat, & conse-
quenter à peccato.

50. *An ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti à pec-
cato excuset?* Excusat; quia cum hac ignorantia non stat vo-
luntarium: omne enim voluntarium supponit cognitionem.
Ignorantia verò inuincibilis pœnæ non excusat a peccato;
quia non tollit voluntarium, neque aduertentiam sufficien-
tem ad legem, & prohibitionem.

51. *Quanam igitur ignorantia excusabit à culpa?* Antece-
dens excusat, non consequens. Quæ verò comitans dicitur,
aliquo pacto excusat, cum ab actu ratione auferat voluntarij.

52. *Quonammodo ignorantia inuincibilis, aut probabilis, qua
sola excusat, est dignoscenda?* Has regulas præscribo. 1. Quan-
do homo operans nil prorsus dubitat de eo quod agit, igno-
rantia est inuoluntaria, ac probabilis. 2. Idem iudicium de
eo, qui adhibito sufficienti studio, scientiam acquirere non
valuit. 3. Quando quis rem aliquam nescit, quam scire tene-
tur, sed nunquam de ea cogitauit, ignorantia est probabilis. 4.
Qui dubitat, aut scit, se ad aliquid teneri, si adhibita morali
diligentia, adhuc ignoret, ignorantia erit inuincibilis.

53. *Quidnam de inaduertentia dicendum?* Ea, quæ saltem
est in apprehensione excusat à crimine; si enim in apprehen-
sione aduertentia non est, Peccatum esse non potest.

54. *Denique exponendum, quanam peccati causa?* Malitia
quidem. Ea autem tunc est, quando nec ignorantia adest ex
parte intellectus; nec passio ex parte appetitus.

55. Num *Demon causa peccati dici possit?* Maxime; quia humores humani corporis localiter moueri potest, eos applicando ea ratione, vt corpus alteretur, hominemque ad vitiosos motus impellat.

CAPVT XII.

Praxis circa materiam de Peccatis ex Doctoribus Societatis IESV.

§. 1. 56. *Scis, mortale ex genere fieri veniale per accidens ex defectu deliberationis: rogo, an etiam possit fieri nec venialis culpa?* Potest. v. gr. ebrietas excusat ab omni peccato tali, ac in his, quæ insana mente fiunt, iniuriosa quidem, ac proxime veniali quæ mente sana, peccata essent. Item blasphemia, infidelitas, periurium in ebrio, &c. Sic *Vasquez tom. 2. d. 227. cap. 3. n. 11. Quid si hec omnia gerenda in ebrietate, prauideantur?* Non excusari *Sanchez* asseruit *sum. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 44.* quia sunt voluntaria in causa.

57. *Scis etiam, veniale ex genere fieri possit per accidens mortale ratione circumstantiarum, vel ratione conscientia emene, de quo supra: rogo, an ex numero venialium insurgat mortale: unde si (v. gr.) per impossibile quis omnia peccata venialia committeret, culpam leuem excederet?* Negatiuè respondeo *Granado* 1. 2. cont. 6. tract. 2. d. 2. sect. 7. docente, volentem vno actu omnia venialia peccata perpetrare, solum venialiter delinquere. Porro *Sanchez* citat. cap. 5. num. 4. asseruit peccare mortaliter, ratione periculi, quo se exponere, omnes dispositiones peccati mortalis admittendo. Sed respondeo omnes hasce dispositiones in essentia dispositionum contineri, non transire in mortale.

§. 2. 58. *Scio cooperari peccato alterius, peccatum esse; et qui concurrat vt causa remota, à peccato excusari: rogo, an quis dicitur proxime peccato cooperasse, dum commodat (v. gr.) cubiculum amico fornicaturo, vt magnum incommodum euitari possit?* Negatiuè respondeo ex Doctorum meorum mente; quia talis commodatio cubiculi ex se est indifferens, & sola abutentis voluntate vitiat.

59. *Cooperaturque proxime peccato famulus, qui domini heri concubinam conduxit? Non cooperatur ex sententia Pal. tom. 1. tract. 6. d. 6. part. 11. si adsit aliquod graue, & proportionatum damnum; quia iam supponitur, inter herum, & concubinam*